



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXIII. De Præsumptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

præfente adverfario loquatur; partim quod majori deliberatione & cautela fcribere quam loqui folamus. *abb. in cap. 2. num. 10.* In praxi autem per instrumenta hoc modo, folet institui probatio. Actor qui Intentionem fuam in aliquo instrumento fundat, illud vel ab initio reo communicat, vel expectat donec lite conteftatâ sibi fit injuncta probatio. Hoc facto petit citari adverfarium ad infpiciendum & recognoscendum originale instrumenti, cujus Copiam fimul præfentat, quæ comparenter eo cum originali fuo confertur, id eft, utrumque legitur, & fi copia verbotenus cum originali concordet, id manu Notarii ad Calcem illius ponitur, quod tali die copia cum fuo originali in Judicio fit collationata & concordans inventa; hoc facto actor originale fuum recipit, & copiam fic collationatam apud acta relinquit, quæ plenam fidem facit; hæc poftea, communicatur reo, ut exceptiones fuas fi quas habet, opponere poffit; & hæc instrumenta femper produci poffunt ufque ad conclufionem in caufâ; quod non tantum de actorẽ, fed & de reo procedit.

TITULUS XXIII.

De

Præfumptionibus.

QUÆRES I. Quid fit præfumptio & quod duplex? Respond. Præfumptio eft conjectura quædam ex certis fignis defumpta, quæ pro veritate habetur; eftque duplex, alia eft Juris, alia facti, five hominis. præfumptio juris eft quam

quam jus format, quæ proinde à Judice attendenda & nisi contrariâ veritatis ostensione elidatur, secundum ipsam judicandum erit. hæc iterum est duplex alia dicitur præsumptio juris simpliciter, quæ scilicet in jure reperitur expressa, & pro veritate quidem habetur, ita tamen ut contra eam admittatur probatio in contrarium. Sic semel malus semper præsumitur malus *cap. 8. de R. J.* Conversatio in juventute facit præumptionem in senectute, *cap. 3. § 15. b. t.* vicini præsumuntur scire facta vicinorum *cap. 7. § 2. b. t.* & tamen contra hæc omnia admittitur probatio in contrarium, valetque regula generalis, quod præsumptio cedat veritati. Alia vocatur præsumptio juris & de jure sive præsumptio necessaria, quando scilicet lex vel canon ex certis judiciis ita aliquid præsumit, & pro veritate habet, ut non admitat probationem in contrarium; sic olim sponsus de futuro cognoscens sponsam in matrimonium consensisse præsumebatur; & hodiè post Concil. Trid. qui in facie Ecclesiæ contrahit matrimonium, non auditur, si contrarium probare velit, sed cogitur manere in matrimonio. Præsumptio hominis est, quam ex certis signis & circumstantiis facit Judex, & inde movetur, ad pronunciandum secundum hanc præumptionem. hæc est triplex, temeraria, probabilis, & violenta; temeraria est quæ ex levibus indiciis oritur, cujusmodi præsumptiones olim erant purgationes vulgares, ex aquâ frigidâ vel fervente, ferro candente, vel duellis desumptæ, *cap. 8. de can. purg. § cap. 2. ac fin. de purg. vulgari.* quæ tanquam indicia omninò fallacia, vanæ suspiciones, & superstitiosæ tentationes Dei, merito reprobantur. Probabilis est quæ ex indiciis verò similibus, & cum

effectu frequenter conjunctis, oritur; licet forsan à parte rei præsumptio falsa sit; talis est quâ puella præsuntur esse parum verecunda & pudica, quæ cum viris frequenter conversatur, *cap. 13. h. t.* violenta est, quæ oritur ex indicis vehementibus, & cum re quæ præsuntur ordinariè & ferè semper conjunctis; sic si nudus cum nudâ in loco obscuro detrahendatur, præsuntur fornicatio. *cap. 12. h. t.* Si homo in foro occisus sit, & in loco delicti repariatur quis cum gladio sanguinolento, is præsuntur patrassè homicidium; ex Cancellato Chyrographo præsuntur liberatio debitoris, *l. 24. ff. de probat.*

QUÆRES 2. Quàm vim probandi habeant præsumptiones? Resp. Præsumptio juris & de Jure plenè probat, taliter quidem ut excludat probationes in contrarium, nisi pars ipsa pro quâ stat præsumptio, fateatur eam esse falsam. Excipe tamen ut supra dictum casus matrimoniales concernentes matrimonium contractum, in quibus etiam confessio contrahentium efficere nequit, ut Judex contra præsumptionem matrimonium declaret nullum. similiter & præsumptio violenta plenè probat, *cap. 2. h. t.* Ex quali violentâ præsumptione judicavit Salomon *3. Reg. 3.* Quod tamen fallit in Causis criminalibus, in iis enim non ex præsumptionibus sed probationibus luce Meridianâ clarioribus judicari debet. præsumptio probabilis plenam probationem non facit, onus tamen probandi rejicit in adversarium, & quandoque id operatur, ut reo tali præsumptione gravato juramentum purgationis imponi possit.

TITU.